

14.  
fectuum consistit in *extraordinario*  
*spirituum & sanguinis fluxu resu-*  
*xuque.* (n)

MEMBR. II. de Origine & Causis Affe-  
ctuum.

§. I.

Q UOD ad originem affectuum  
attinet, discrimen illud  
observandum venit, quod est in-  
ter *occasionem*, & propriam pro-  
ximamq; illorum *causam sive ori-*  
*ginem*. *Occasio* in objectorum  
externorum prima repræsentati-  
one, sive *sensione*, sive etiam per-  
ceptione (: res eodem recidit:) *quæ-*  
*randa est*. Sine *sensione* affe-  
ctus excitari nequeunt, propter  
ea quod ignoti nulla *cupido*.  
Hinc si quis absens vel maximis  
læsus fuerit *conviciis*, ubi hoc  
ipfi ignotum est, *ira* nulla sequi  
po-

(n) in tract. de aff. p. m. 5.

15  
potest; *sensione* quippe impedi-  
ta impeditur affectus. *Sensio-*  
*nem* ejus modi excipit repræsen-  
tatio in mente, inprimis quæ fit  
*vi imaginativa*. Sæpe enim co-  
gitationes in mente existere pos-  
sunt, sine affectu quodam in vo-  
luntate. Sæpe multa bona ma-  
laque audimus, deque iis medi-  
tamur, sine vel levissima volun-  
tatis commotione: at imaginatio-  
nis alia est ratio, qua objectum  
nobis repræsentamus, prout ad nos  
iplos pertineat, hinc que nobis  
aut bonum, aut malum sit; quæ-  
que a Celeberrimo Dno. *Valerio*  
(o) habetur *primaria*, eaque  
propria causa; quod ex variis  
probat rerum circumstantiis; E.  
G. si duobus idem contingit ob-  
jectum, ut nimirum uterque pa-  
ri ratione opprobriis afficiatur,  
fieri potest, ut alter vehementer  
ira-

(o) Introd. in Phil. p. m. 376.

irascatur, alter vero placida quiescat mente; quod certe non nisi ex imaginationis ratione derivaveris. Is enim qui excandescit, rem veluti magnum sibi malum repræsentat: alter non ita sese habere sibi perſuadet, hinc animus illi est quietus, nec commovetur. Si porro adfectus regere, compeſcere, debilitare vel roborare velimus, id sane fieri debet per imaginationem, ita ut cogitemus objectum esse, vel majoris, vel minoris momenti, alioque vertamus cogitationes. Dum enim nobis res aliæ obveniunt, de iis quoque cogitamus, & imaginatio, quæ sustentat affectum cessat, & dimittit prius objectum suum. Dependet itaque ab imaginationis discrimine, varia affectuum humanorum conditio. Imaginationis autem varietas ex diversis causis est derivan-

vanda, speciatim ex voluntatis dispositione & varietate temperamentis. Ita voluptatis studiosus rem quandam longe aliter sibi repræsentat, quam ambitiosus aut avarus; prout quoque experientia duce clarum est, pro diversitate propensionum, affectus quoque esse varios, E. G. Voluptuosus si lædatur, tanti injuriam non facit, quanti ambitiosus; & avarus si minimam passus est jacturam, magis contristatur quam voluptuosus. Homines sane secundum propensionum rationem, bonarum malarumque rerum gradus metiri solent. Imaginationem sequitur in voluntate commotio, cum qua conjunctus est sanguinis motus. Hinc est, quod pro diversa imaginationis ratione multiplex inveniatur etiam hominum genus, qui in affectibus diversi sunt atque varii, & ad tres classes, non incommode a modo

B

no-

nominato Celeb. Dno. Valchio referuntur (p). *Sunt* (α) qui singulari non sunt præditi imaginandi facultate; quare nullis ferre perturbantur affectibus, & in bonis adquirendis sunt negligentes, in malis autem removendis securi, nec curant quomodo in tempore debita cura sint adhibenda subsidia. *Alii* (β) multa valent imaginatione, in quibus non frequentiores tantum, sed vehementiores quoque oriri solent adfectus, adeo ut levissima quadam offensione multum irasci, de re nullius momenti magnopere lætari, & levis dispendii causa, cælum terramque movere satagant; quod hominum genus itidem infelix reputandum est. *Interne* nimirum continuæ mentis perturbatione agitantur, servique sunt suorum adfectuum. *Externe* autem ad consuetudinem cum

(p) In introd. in Philo. p. 378.

cum aliis sunt inepti, eo quod subitis, vehementibusque suis affectibus multam molestiam sibi aliisque adferant. *Media* (γ) via inter hos incedunt, qui destituti quidem vi imaginativa non sunt, eam autem judicio sciunt subicere, ut rationi affectus obtemperent, huicque fiant consentanei.

*Membr. III. De Obiecto & sede affectuum*

§. I.

**O**bjectum, vel quod in nobis excitat affectus, sunt res, sub ratione boni vel mali apprehensæ. Ubi observat Clarissimus Gentzkenius, quod in adfectibus, qui bonum pro objecto habent, sanguis ab interioribus ad exteriora; qui vero malum pro objecto habent, ab exterioribus ad interiora, spasmodica partium

B 2

con-

constrictione pellatur. Inde rubor faciei, hinc palor etiam existit.

§. II.

Quod ad sedem affectuum at-  
tinet, patet ad *voluntatem*  
pertinere adfectus, exinde quod  
ex repræsentatione *boni & mali*  
oriantur, & circa *boni* prosecutio-  
nem & *mali* fugam, quæ propria  
sunt voluntatis, occupentur. At  
*quanti in corporis parte, voluntas affe-*  
*ctus vel recipiat, aut exerceat, non*  
convenit inter Philosophos. Fieri  
id in *corde* alii, alii in *cerebro* sta-  
tuunt. In *corde* fieri, ex hoc col-  
ligit Celeb. Valchius, quod ope-  
ratio in anima, cum in volun-  
tate affectus excitatur, non in  
*cerebro*, ut in cogitationibus fit,  
sed in *corde* se prodat. In *cerebro*  
fieri, exinde concludit Celeb. Ver-  
dries (g), quod adfectus oriantur  
a perceptione, perceptio vero fi-

(g) In *Phys. part. sp. p. 537.*

at in loco communis sensorii, at-  
que ille locus fit in cerebro.  
Quas sententias ita facile conci-  
liandas esse docet Cl. Gentzken;  
suppono, inquit, & *cerebrum &*  
*cor* esse primaria membra, in  
quæ mediantibus nervis mens  
agit, & quia *intellectus* ac *volun-*  
*tas* tantum cogitatione differunt,  
patet simulac mens exerit affe-  
ctum, & *cerebrum & cor* move-  
ri: *illud* per spiritus animales, ut  
idea boni vel mali conservetur;  
*hoc* se vel dilatando vel contrahendo,  
ut fluxus sanguinis vel proveha-  
tur, vel retardetur, quemadmo-  
dum adfectui conveniens erit.

Membr. IV. De divisione affectuum.  
§. I.

Affectuum species varias con-  
stituerunt Philosophi. Pytha-  
goræi cupiditatem & extrantescen-  
tiam constituerunt principales ac prima-  
rias

as passiones. Illam *bonum*, hanc *malum* pro objecto habere dicebant. Academicis 4 fuisse principui affectus: *agritudinis* sc. *formidinis*, *libidinis* atque *lætitiæ*; ad quos tanquam ad sua capita atq; principia reliquos retulisse hinc inde nominatosprehendimus. Quo etiam *Virgilius* procul dubio respexit, ita canens, Lib. VI Æneid.

- - Hinc metuunt, cupiuntque dolent  
gaudentque

Nec non Horatius, Ep. Lib. I. Ep. 6.

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatque  
atque quid ad rem?

Nec Stoicos hac in parte ab illis dissensisse animadvertere licet. Conferamus *Ciceronem*, *Senecam* aliosque. *Scholasticis* XI numerantur, quorum alii ad appetitum concupiscibilem referri solent, ut sunt Amor, Lætitiæ, Spes, Desiderium, Audacia. Alii

irascibilem, ut Fuga, Metus, Odium, Tristitia, Ira & Desperatio *Cartesius* affectus dividit in Primitivos & Derivativos. Primitivi, qui ex nullis aliis orti, atque adeo simplices sunt, ipsi dicuntur sex: admiratio, amor, odium, cupiditas, lætitiæ, tristitia; Derivativi, qui deinde ex hisce vel oriuntur, vel sunt orti. *Gentzkenius* (\*) alique quidam recentiorum ita procedunt: quoniam esse nostrum partim instinctu Naturæ, partim rationis ductu conservare & perficere impellimur, nos nihil movet, nisi quod bonum, i. e. nostri conservacionem; aut malum, i. e. nostri destructionem promovet. Inde concludunt *amorem nostri* esse universalissimum affectum, & fontem omnium aliarum passionum, quippe quæ non nisi *emanationes*

&

(\*) in tract. de aff. p. m. 22.

& species Philautiæ sunt. Nihil enim odifsemus, ob nihil tristarerur, vel iracererur; nihil desidererur, spererur vel metuererur, nisi saltem nosipfos, nostramque conservationem, aut quamcunque ejus speciem amarerur. Ex hoc nostri amore fluere dicunt, *duos primigenios affectus, & fontes ceterorum omnium, amorem scilicet & odium. Illum cum singulari impetu versus bona; hoc autem erga mala se exercere docent: constituentes reliquos deinde affectus, vel distinctas horum species, vel distinctos gradus, vel distinctas amoris & odii modificationes, petitas aut ab effectu, aut a diverso respectu, quem habent bona & mala erga nos, quatenus propinqua vel remota, presentia vel futura, obtentu possibilis vel impossibilis, facilia vel difficilia* cog-

cognoscuntur (s). Non adeo dissentimus ab huic. Quia tamen voluntas vel appetit vel averfatur, & altera mentis commotio vehementior est altera, aliaque variatione mentem afficit, quo circa melius esse judicamus, cum Celeberrimo Dno. Joh. Georg. Valchio, (t) si & nos amorem atque odium distingvamus, & hos binos affectus constituamus primitivos. Appetitio autem boni dicitur amor; averfatio mali odium. Affectus derivativi certo numero definiri nequeunt: si enim respiciamus tam ad objecta varia, ad quæ spectant, quam ad motus voluntatis diversos, quibus se produnt, aliasque circumstantias, adeo illi varii sunt generis, ut illorum numerum vix inire, ne dum ad certum ordinem eos redigere valeamus; quemadmodum & voces de-

(s) Conf. Gentsk. tract. Eth. Phys. p. m. 22. (t) Introd. in Phil. p. m. 381.

deesse videntur, quibus eos omnes designare atque distinguere possimus. Si tamen divisionem ejusmodi affectuum derivatorum constituere velimus, fundamentum præcipuum a diversis illorum objectis desumendum est, ex quibus magna amoris & odii oritur varietas. *Bonum* enim, quod petimus, vel *malum*, quod averſamur, aut est *præteritum*, aut *præſens*, aut *futurum*. Appetitio *boni* præteriti, vocatur *desiderium*, præſentis, *lætitia*; futuri, *spes*. Averſatio *mali* præteriti, *pœnitentia*; præſentis, *tristitia*; futuri, *metus* dicitur. Bonum omne *verum*, quavis simul jucundum, simul honestum, simul utile sit: plerumque tamen unus respectus præ altero magis adſicit animum. Quod si ita ergo imminet bonum apparenter jucundum, *voluptas*

*luptas* oritur; si bonum apparenter honestum, *ambitio*; si denique quod utile videtur, *avaritia*. Rursus quoties malum honesto repugnare videtur, *ira*; si decoro, *pudor* si jucundo, *talium*; si denique utilitati, *invidia* emergit. *Voluptas* si in venerem tendit, *lascivia*, si in variarum rerum parum utilium cognitionem, *curiositas*; si denique in gulam, *luxuria* dici solet. Sed sunt & affectus, qui e bono maloque alteri contingente existunt. Ex bono enim amici præſente vel præterito, *congratulatio*; ex futuro, *favor*; ex malo amici præſente, præterito vel futuro, *commiseratio*; ex bono porro, quod inimico obvenit, iterum *invidia*; ex malo ei imminente, *irrisio* vel *invidiam*. Nec raro plures *affectus* inter se colliduntur, aut jungunt phalanges. Sic si amor &

& metus concurrunt, *Zelotypia*; sin invidia & ambitio, *emulatio* inde oritur. Ut autem de mediis etiam sumus solliciti, cum quid obtinere vel amoliri studemus: consequens est, ut si media *bonum* consequendi, retinendi que facilia cui videantur, *fiducia*; si difficilia, *diffidentia*; item que si media averruncandi *malum* se tanquam facilia repræsentent, *audacia*; sin tanquam difficilia vel impossibilia plane, *desperatio* inde nascatur, ceu notat etiam Clariss. *Dnus.* Heineccius. (n). Hac vero aliave ratione, cum morum Doctores ad certas classes affectus revocant, non id volunt, ac si præter eos, quos recensent, non essent alii; sed præcipuos tantum nominant, ostenduntque hac divisione, quæ admodum quadam saltem ratione, (n) *In Elem. Phil. Mor., p. m. 19. & 20.*

ne, in ordinem possint redigi (b).

MEMBR. V. de Moralitate affectuum.

§. I.

Omnes affectus, cujuscunque demum generis atque ordinis sint, maxime vitiosos esse, Stoici contendisse videntur. Sed recte judicat Clarissimus Omeisius: (x) Sicut mercatores iniquum quandoque postulant, ut æquum obtineant; ita Stoici excidium affectuum imperarunt, ut moderamen impetrarent.

§. II.

Quod affectus, per se non sint vitiosi, pluribus argumentis probari solet: I. quod ipse Servator noster, omnis perfectionis exemplar, non fuerit

(b) Conf. D. Valch. *Intrud. in Phil.*

p. m. 382. (x) *In aretol. Gen. p. m.*

42.

expers affectum. est enim tristatus ob mortem Lazari, lætatus ob successum prædicati Evangelii &c. 2. quod in scripturis Deo adscribātur affectus amoris, odii, &c. 3. quod a Deo nobis præcipiantur quidam affectus; ut amor erga parentes, conjuges, liberos, miseratio erga adflictos. 4. quod necessitate Physica haud paucos affectus in nobis oriri videamus, qui si vitiosi sua natura essent, Deus auctor foret mali.

## §. III.

**P**hilosophorum vero propria hæc sunt argumenta<sup>(a)</sup> quod nostræ sanitati fovendæ conducant. Idem enim in homine microcosmo præstare videtur quod venti majore in mundo. Sicut enim hi aerem expurgant, ita illi sanguinem quasi ventilant, ne stagnans putrescat, ut loquitur Omeilius. <sup>(b)</sup> Sunt cotes & instru-

strumenta multarum virtutum, vel stimuli atqve calcaria, quibus ad bonum seqvendum & malum fugiendum excitamur <sup>(y)</sup> Quapropter etsi in consilium rerum gerendarum adhiberi haud debeant, utpote quod sibi vendicat sola ratio; consaliorum tamen executioni intervenire possunt; quo sensu aliis dicuntur *animi ale, animorum ardores, voluntatis satellites*. Quod si animus affectu prorsus exutus esset, officiorum nostrorum exercitium in multis, quæ ardua essent, languesceret. <sup>(c)</sup> Æque ridiculum esset, ab homine postulare, ne Parentum Conjugum, Liberiorum, Amicorum, vel Opum etiam jacturam ægre ferat, aut ne prospero rerum successu lætetur, quam homines monere, ne sentiant dolorem, dum vapulant aut

<sup>(y)</sup> Vid. Barcl. Icon. anim. p. m. 148.

aut ne afficiantur voluptate dum  
tami cibo grato satisfaciunt; ut  
loquitur Gentzk. (z). Physice igitur  
& generaliter considerati,  
sunt adfectus indifferentes; qua-  
tenus vero in specie, cum hac  
vel illa circumstantia morali, si-  
stuntur nobis, vel boni vel ma-  
li fiunt; ut sc. sese habent respec-  
tu objecti atque finis vel præcep-  
ti vel prohibiti, & commotio  
mentis objecto atque fini magis  
vel minus respondet, ita ut ne-  
que modum excedat, neque in  
necessariis deficiat. Tota enim  
eorum *formalis qualitas*, qua bo-  
ni vel mali dicendi sint, petitur  
partim a fine propter quem, par-  
tim ab objecto, in quod feruntur.  
Sic amare pulchrum est, si amor  
tendit in objectum licitum & se-  
dignum, idque boni alicujus ve-  
ri inde obtinendi gratia. Fœdissi-  
mum

(z) *In de aff. p. m. 12.*

simum idem est, si amor corri-  
pit objectum illicitum vel indi-  
gnum; hocque solius suæ libidi-  
nis explendæ causa. Sic odium  
itidem bonum est, cum id quod  
lege vel natura sua damnabile  
atque vere noxium est, averfa-  
mur. Malum vero id odium est,  
quo quis prosequitur id, quod  
in se bonum, honestum, justum,  
& laudabile audit. Audacia bona  
est, si impetus ruat in apertum  
hostem; si tendat in familiarem &  
civem innocentem, mala est eadē  
audacia. Metus & timor itidem  
boni sunt, si timeamus ea, quæ  
timenda sunt; ut iram Dei &  
Magistratus, & caveamus mala  
certo ingruentia. Unde illud:  
matrem timidi flere non solere.  
Aliter si contra.

*Membr. VI. De Effectibus. adfectuum.*

§. I.

**H**I partim in corpore, partim  
in